

78 N 13 [81] X3013654

EYTHPIAN  
VENERANDO PARENTI  
DAVIDI LICHTEN-  
HAHNIO,  
MED. D. ARCHIATRO DUC. SAXON.  
MARTISB. ET ACADEM. CURIOS.  
IPSIS REVERTENTIBUS NOVI ET AUSPICALIS ANNI  
ÆRÆ CHR. clbIcccXXII.  
KALENDIS  
DEVOTA MENTE APPRECATUR  
FILIUS  
AMORE ET OBSEQUII LEGE  
ADSTRACTISSIMUS  
CHRISTIANUS AUGUSTUS LICHTENHAHN,  
M. C.



Kapsel 78 N 13 [81]

AK




DAVID NICHOLSON  
M.D. D. O. M. F. R. C. S. (LOND.)  
M.A. (OXON.)  
F.R.S. (LOND.)  
F.R.C.S. (LOND.)  
F.R.C.P. (LOND.)  
F.R.C.O. (LOND.)  
F.R.C.S. (EDINB.)  
F.R.C.P. (EDINB.)  
F.R.C.O. (EDINB.)  
F.R.C.S. (GLASGOW)  
F.R.C.P. (GLASGOW)  
F.R.C.O. (GLASGOW)

DEPOSITED BY THE AUTHOR  
IN THE  
OFFICE OF THE  
REGISTERED  
OFFICE OF THE  
REGISTERED

1850







\* \* \* \* \*



Itera, devotæ sincera vicaria lingvæ,  
 Quæ venit officiis obsequiosa suis,  
 Hanc, precor, explicito, si digna est, accipe  
 vultu,  
 Æterno cultu DEVENERANDE PA-  
 RENS,

Sique stat officio pretium, si gratia rectis  
 Moribus, & veteris vivit amoris honos,  
 Da veniam, solito si annalia gaudia more  
 Declaro, votis significanda bonis.  
 Scilicet ille dies lætis comitator horis  
 Ac vultu indutus candidiore redit,  
 Quo sese auspiciis repetitis induit annus,  
 Et sol decurso tramite vertit equos.  
 Injungit pietas, efflagitat ardor amoris  
 Hunc merito plausu condecorare diem.  
 Nondum cessat amor, nondum prolixa voluntas,  
 Complura affectus sunt documenta Tui.

Pro-

Protogenem quondam quater induxisse colorem  
Picturæ Jalyfi fama vetusta refert,  
Ne, quod victurum feris effinxerat annis,  
Tempus edax rabido dente feriret opus.  
Tu simili patriam mentem ratione gubernas,  
Qui meritum meritis accumulare soles;  
Ut custodito perduratura favori  
Gratia stet, cunctis non referenda modis.  
Interea faciam tanta pietate vadatus,  
Quod jubet obsequio confociatus amor.  
Gaudiaque effusis longe exundantia votis  
Inveniant facilem, si meruere, Deum.  
Sed dubia incertam torquet sententia mentem,  
Quæ mihi vota bono sint facienda die.  
Vis optem nullo descriptam fine senectam,  
Lustra que in immensas amplificata moras?  
Non puto: Sed mecum votorum explodis acervos,  
Quos solitum in morem plebs malefana struit.  
Hæc onerat lassum prægrandibus æthera votis,  
Quæ caperent nullo sidera vasta sinu.  
Hæc spatium Pylîi stulte desiderat ævi,  
Temporaque extremum non habitura diem.  
Si nos Alænalîæ peperissent robora filvæ,  
Arcadîcæ genti qualis origo fuit.  
Corpora si rigidis essent excusa metallis,  
Fulciretque leves ferrea fibra toros,  
Qualia Mæotides quondam obtinuerunt sorores,  
Fama quibus fulvo finxit ab ære manus.  
Aut si, ceu vitreis æther concrevit ab undis,  
Cælite crystallo membra coacta forent,

Seu



Seu textura foret stellatis purior auris,  
Elysiis qualem mentibus esse ferunt;  
Tunc Tibi Olympiacis voverem aequalia iustis  
Secla, catenato perpetuata die.  
Sed contexta levi sunt vitae stamina filo,  
Et fumus abjectae debile fragmen humi.  
Ac veluti Samiis quae ficta est amphora terris  
Diffilit, inque suam fracta recurrit humum:  
Sic etiam ad priscos humana revolvitur ortus  
Compages, fragili conglomerata luto.  
Haec canescentis lima corroditur aevi,  
Dum capiunt lentum marcida membra situm.  
Non secus ac tacita teritur rubigine ferrum,  
Aut dura illifis saxa cavantur aquis.  
Utque per insanas multum jactata procellas,  
Laxatur tumido victa carina falo;  
Nostra senescentes sic vita fatiscit ad annos,  
Et nobis sensim portio parva perit.  
Adjice Morbonam, quae nobis undique tendit  
Retia Arachnaeis callidiora dolis.  
Tandem incisa diu ruiturae vincula vitae  
Immiti abruptit trux Libitina manu.  
Tam vicina inter vitae & confinia lethi,  
Quorum non stabili volvitur orbe fides.  
Ecquis distentum protractis finibus aevum  
Expetat, emotae fit nisi mentis homo?  
At forsan fas est viridem exoptare senectam,  
Florentesque artus & juvenile genu.  
Ambitiosa mihi haec nimis & ventosa videntur  
Vota, procelliferis abripienda notis.

An

An licet Hebæos iterum juvenescere in annos,  
 Et priscam insolito vim reparare modo?  
 An licet exuvias tristes tunicamque senectæ  
 Ponere & effertis induere ossa toris?  
 Scilicet ætherea non vescitur amplius aura  
 Phafias, infirmos docta novare fenes,  
 Quæ regem Æmatium quondam vernantibus annis  
 Artifici fertur restituisse manu.  
 Usque adeo humanam superant animalia fortem,  
 Quis meliore licet conditione frui!  
 Sic Parethoniaco qui serpens incubat antro,  
 Quum senio affectus corpus inerme trahit,  
 Vere ineunte novo squalentem ponit amictum,  
 Atque nova in viridi veste superbit agro.  
 Sic vivax reparat deperdita cornua cervus,  
 Et volucris fertur per fata læta pede.  
 Quam fortunate canescit Delius ales,  
 Cujus in extremo funere plaudit Arabs,  
 Hic senio emeritos mox ipse redintegrat artus,  
 Seque inflammato parturit ipse rogo.  
 Cernimus antiquam vermes deponere formam,  
 Quis peregrina aliud fert habitudo genus.  
 Quin annosa novo revirescit germine quercus,  
 Atque instauratis stat redimita comis,  
 Quique sub Hesperia moritur flos flaccidus umbra,  
 Altrice exsurgit flos redivivus humo.  
 O si, quod nobis natura noverca negavit,  
 Phœbeæ possent suppeditare manus!  
 O utinam viridis flos delibator ævi  
 Artis Apollineæ sit reparandus ope!

Ipsè



Ipse salutiferos vellem conquirere succos,  
Et miscere pia pharmaca lecta manu,  
Quæque alit Hybla ferax & aprici collis Hymetti  
Educat herbifero germina læta sinu.  
Nobile præberet panaces Panchaica tellus,  
Forte theombrotion Persis Eoa daret,  
Fertur Achæmeniis quod quondam regibus ævo  
Incano virides restituisse dies.  
Ipse attrita Tibi vellem integumenta senectæ  
Detrahere atque habitu membra levare novo.  
Sique finat rerum ordo, Tuis accederet annis  
Florentis vitæ pars pretiosa meæ,  
Ac velut Iliacis pietas celeberrima flammis  
Dicitur Æneæ subripuisse patrem:  
Sic, VENERANDE PARENS, Te deterioribus annis  
Eriperet noster non moriturus amor.  
Talia vota tamen sunt lævæ somnia mentis,  
Quæ valeant portas inter, Homere, tuas.  
Cætera distædet vulgi perquirere vota,  
Stultitiæ similis quæ fere pondus habent.  
Ergo alia est, fortem fors inventura secundam,  
Votorum species dispicienda mihi.  
Exoptat sapiens, fieri quæ posse putantur;  
Sic forti humanæ convenienter agit.  
Convenit humanæ forti tranquilla senectus,  
Vota dari possunt non meliora seni.  
Est fortunatus nimium, quem grandibus annis  
Fessum optata potest exhilarare quies.  
Hæc portus vitæ est, hæc ultima meta laborum,  
Hanc sapiens reputat maxima vota senex.

De-

Definit & bello miles veteranus & armis  
 Lassus Bellonæ castra cruenta sequi,  
 Et capiens vitæ delectamenta togatæ  
 Consecrat hastato signa perosa deo.  
 Nauta senex multum ventis discordibus actus,  
 Atque diu æquoreis exagitatus aquis,  
 Fluctivagæ tandem fugiens fastidia vitæ  
 Secura in terris otia lætus agit.  
 Hæc Tibi contingant tranquillæ dona senectæ,  
 Multiplici Genitor suspiciende modo ;  
 Postque tot exactos exantlatosque labores  
 Te vacuum turbis pascat amica quies !  
 Ut placido possis stadium pertendere cursu ,  
 Quod decurrendum fata secunda dabunt.  
 Hæc precor, atque hic est votorum cardo meorum,  
 Quas Deus incassum non finat ire preces,  
 At Tu sinceri, Genitor dilectæ, favoris  
 Sis memor & votis velificare meis.  
 Te mea constanter sacro maectabit honore  
 Non unquam pietas interitura ; Vale.





78 M 13 [2A] X3013654

17

# EYTHPIAN VENERANDO PARENTI DAVIDI LICHTEN- HAINICO

MED. D. ARCH.  
MARTISB.  
IPSIS REVERTENT  
ÆRA

SAXON.  
RIOS.  
CALIS ANNI

DEVOTA

IR

AMOR  
A

CHRISTIANUS

AHN,

Kayser

